

1219











No 1219.





CARMEN
DE SECVNDA PERSONA DIVINITATIS, ET QVATVOR SVMMIS MERITIS FILII DEI,

Scriptum
ab
Isaaco Mauritio Gilleleiano.

~~Isaac Grönbeck~~



Hafniæ,
EXCVDEBAT IOHANNES XYLANDER.
1563.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

REVERENDO VIRO M: NICOLAO COLDINGENSI MECAENATI SVO CHARISSIMO.

MAxima qui solus studiorum es causa meorum,
Esse salutatum te mea musa cupit.
Plurima namque tui cernebat signa fauoris,
Quando locum uotis illius ultro dabas.
Vt neque præteream, quibus est ornata subinde,
Munera, perpetua laude colenda mihi.
Aut ea Lethæa ne sint submersa palude,
Testis de meritis est mea Clio tuis.
Exiguæ molis non est Iouis ora tueri,
Nec diuos precibus conciliare sibi.
Quòd superos sensit sibi nostra Camæna benignos,
Hoc (fateor) factum dexteritate tua.
Ergo tibi tantis meritis astricta mouebit
Plectra, quibus tollet nomen ad astra tuum
Dum conatur idem, tibi dum promissa feruntur,
Hanc cernis causam carminis esse mei.
Hoc tua præclaris tot dotibus aucta requirit
Virtus, quam semper summus Apollo stupet.
Hoc etiam factis clarissima fama meretur,
Quæ superis fecit te pietate parem.
Et tua per gelidos probitas effusa Triones,
Quæ te præ reliquis diuite dote beat.
Mittimus ergo tibi teneram Nicolaë Camænam,
Quæ non lasciuos fundit ab ore iocos.

Sed canit æterni summum genitoris amorem,
Quem sacra progenies uirgine nata refert.
Non solum munus, mentem sed respice gratam,
Quæ maiora tibi reddere prompta fuit.
Ni retineret inops animum tam iusta uolentem,
Pauperies, cui mens seruiat ægra mea.
Ergo boni facias teneram precor usq; Thaliam,
Hoc mihi nam gratum nil magis esse potest.
Viue uale felix, Musarum uita, decusq;,
Te saluo semper fistula nostra sonat.

T: T.

Knacus Mauri-
cius.

D B

DE SECVNDA PERSONA DIVINITATIS.

ESt uia perpetuæ mortalibus una salutis,
Agnitio ueri, firma fidesq;, Dei,
Et merita ipsius cognoscere, ferreq; laude,
Est hominum generi summa profecto salus.
Vt pia sacrorum testatur concio uatum,
Et simul æternus clamat in orbe Deus.
Si quis habet Christum, uiuet sine fine beatus,
Eius at ignaris i[illegible]erennis erit.
Non etenim statuas ull[illegible]cuiquam esse salutem,
Absq; Dei meritis, notitiaq; λογ·ῦ.
Ipse, uelut ueterum tradit sacer ordo uirorum,
Iustificat multos agnitione sui.
Itur ad æternæ sic gaudia maxima uitæ,
Et meritis Christi cælica porta patet.
Sic Deus à cunctis decet agnoscatur, at, eheu,
Pars quota mortalis pensitat illa chori.
Insidijs lapsus diuini nominis hostis
Aeternæ pœnæ cum reus orbis erat,
Humani generis Deus est accensus amore.
Et nasci natum iussit in orbe suum.
Vt per eum nobis accessio tuta daretur
Ad patris æterni, morte iacente, thronum.
Filius æternus sic agnoscatur oportet,
Quod missus nobis à genitore fuit,
Vt daret ἀντίλυτρον sese pro crimine nostro,
Et nobis aditus liber ad astra foret.
Quod sibi cum cupiat contingere quilibet ardens,
Nonne opus esse uidet cognitione Dei?

Qua ſine frigeſcit quicquid conabitur ipſe,
Abſqꝫ Deo felix non labor ullus erit.
Per λόγον æternum uitijs purgabitur omnis,
Haud alio ueniet uita beata modo.
Hunc patris æterni natum celebremus oportet,
Nam per eum ſolum uiuimus atqꝫ ſumus.
Quapropter carmen modulari noſtra Thalia
Incipiet, Chriſti factaqꝫ ſancta canet.
Ventis his placidis procedet noſtra carina,
Hoc meus, ut uid[illegible],puluere curret equus.
Nomina principio ref[illegible]m, quæ pagina ſacra
Aeterno tribu[illegible] genitore ſato.
Poſt ea procedet dicendi tramite noſtra
Muſa, nouem ponens ordine menbra ſuo.
Quattuor adiectis meritis, quæ ſumma fuerunt,
Ponet ſuſceptæ pondera dura uiæ.
Vela prius tumidis mea quàm cõmitto procellis,
Te ſumo comitem, te peto Chriſte ducem.
Laus tua nunc agitur, ſoboles æterna parentis,
Vndis obſeſſæ dirige nauis iter.
Pectora noſtra tuo reple ſpiramine ſancto,
Vt te collaudent ſanctaqꝫ facta canant.
Vt pie Chriſte tuum nomen modulamine ſacro
Concelebrem, linguæ uincula ſolue meæ.

I.

Aeternus genitor primo te nomine Chriſte,
Ornauit, ſemen te muliebre uocans.
Quòd caro ſis ſacro ſpiramine factus in aluo,
Virginea, uirtus magna Dei, abſqꝫ uiro.

Angelus

Angelus eſt nomen, quo ſæpe uocatur ob illud,
Quod ſit legatus miſſus ab arce poli.
Vt patris æterni decretum ferret in orbem,
Et fieret patri uictima grata ſuo.
Dicitur & Syloh, quod fœlix uertitur heros,
Nam uictor, uicta morte, futurus erat.
Brachium & ipſe Dei toties, & dextra uocatur,
Quod per eum fuerint omnia facta ſimul.
Eſtq; Dei facies dictus, nam qui uidet ipſum,
Is uidet & patrem quo latus ipſe fuit.
Et lumen uultus Domini, quia pectora noſtra,
Illuſtrat uera cognitione Dei.
Os Domini, quod ſit noſtris cum patribus olim,
Colloquijs uſus, ſacra docendo, pijs.
Appellatur Ero, quod ſit ſine fine futurus.
Deſenſor, noſtræ duxq; comeſq; uiæ.
Nomen Iehoua retinet, quoniam per eundem
Iuſtitiæ nobis eſt renouata uia.
Ordine melchiſedec nomen tenet ipſe ſacerdos,
Quod non Leuitico more creatus erat.
Emmanuel Deus eſt nobiſcum, quod caro factus,
In nobis habitet, liberet atq; regat.
Conſilium, quia adeſt nobis: mirabilis autem
Dicitur is propter facta ſtupenda ſua.
Fortis, namq; ſuas uires uirtutibus auget,
Atq; Deus Zebaoth uiribus uſq; potens.
Et princeps pacis, quia pacis primus is autor,
Dux, quia pro populo prodit ad arma ſuo.
Rex, cuius uerum ſancta eſt eccleſia regnum,
Et lapis offenſæ dicitur eſſe ſuis.

Quod

Quod genus humanum docuit, ſapientia, multis
Nomen ei tribuit pagina ſacra locis.
Sanctus ſanctorum ſimili ratione uocatur,
Nos à fœtenti crimine namq; lauat.
Orans pro nobis ſacrato flamine purgat,
Inſtar pontificis ſanctificando fouet.
Hic ſol iuſtitiæ dictus, ueram quia lucem
Accendit noſtræ menti, animoq; ſimul.
Obtinet à populo ſaluando nomen Ieſus,
Chriſtus ab ungento nobile nomen habet.
Filius hic hominis, patrisq; Dei celebratur,
Nam uerus Deus eſt, & caro uera ſimul.
Is Dominus, cuius magna uirtute domatur
Mors, ualidusq; hoſtis, tartareæq; domus.
Verbum ſeu λόγος eſt dictus, mentem quia nobis
Indicat arcanam, conſiliumq; Dei.
Agnus ei nomen, quia uictima, ſanguine cuius
Mundatus quiſquam, tutus ab hoſte manet.
Paſtor, quod uerbo, non gramine paſcit ouile:
Ianua, nam per eum cœlica porta patet.
Lux mundi, quia nos ad gaudia maxima ducit,
Illuſtrans mentes agnitione Dei.
Vitis, nam ſine eo marceſcere cuncta uidemus:
Vita, quod illius munere parta uenit.
Verus, nam nobis proponit dogmata uera:
Et uia, quod monſtret rite ſalutis iter.
Panis, nam cibus eſt, animam qui ſedulo paſcit:
Sponſus, quod ſponſę eſt captus amore ſuæ.
Samaritanus ei nomen, quia uulnera nobis,
Sanat, mirificè ſaucia corda fouens.
Frater,

Frater is est dictus fraternum propter amorem,
Rabbi, quod nobis sedulo doctor adest.
Nomen habet quia præuidit uentura, Prophetæ,
Et reliquos uates maximus inter erat. (sto,
Hæc sunt quæ tribuit sacra pagina nomina Chri-
Quod nunc est reliquum suscipiamus iter.

II.

Quòd satus æterno fuerat patre Christus Iesus,
Iessæi uatis pagina testis adest.
Filius ecce meus, clamat pater ore sonoro,
Quem genui, est omni uox ea digna fide.
Est genitor mittens, genitus quoq; missus ab illo,
Hic patris emissum lumen in orbe micat.
Talia conuincunt sectam quamcunq; negantem,
Christus ab æterno quod genitore fuit.
Lex data per Mosen, per Christum gratia uenit,
Qui Dauidis erat posteritate satus.
Illa ne uerba probant satis & cõformia, Christus,
Quòd sit de pura uirgine factus homo?
Desine nunc igitur diuini numinis hostis,
Plura nec in nostrũ sparge uenena gregem.
Vaniloquo tantum non nobis obstrepis ore,
Sed patris æterni uerba inhibere studes.
Quando tot erroris lethalis semina spargis,
Nec seruas aliquem nos lacerando modum,
Carmine digna sacro est talis patientia Christi,
Inter apes fucos qui sinit esse suas
Non hîc institui certamen Zoile tecum,
Sed magis æternum concelebrare Deum.

Nūc igitur reuocē nostram ex certamine musam,
Et Christum paribus glorificabo modis.

III.

Hic autem λόγος est æterni patris imago,
Natus ab æterna mente parentis erat.
Ante mare, & terras, & sydera clara polorum,
Hic fuit æterno de genitore satus.
Hic Deus est uerus, lumen de lumine Christus,
Omnia sunt illo facta operante simul.
Filius æterno patri est ὁμοούσιος ipsi,
Nec superat patrem, nec genitore minor.
Ob genus humanum conceptus flamine sacro,
Est etiam ex puro uirgine factus homo.
Crimine pro nostro mortem passus, tumuloq;
Conditus, ascendit lucida regna poli.
Ipsius æterno est eadem cum patre potestas,
Et regni nullus terminus eius erit.

IIII.

O naturarum coniunctio mira duarum,
Naturam humanam sustinet usq; λόγος.

V.

Vnicus ille Deo satus est, plures nec habentur,
Nobile qui nomen Christus Iesus habet.

VI.

Vt discernatur geniti persona, patrisq;,
Causa, uide, nati dicitur esse Pater.

Qnamuis

Quamuis non prior est respectu temporis ipso,
Namq; coæuus erat cum genitore suo.

VII.

Condidit hic mundũ cũ patre, et pneumate sancto,
Omnia quæ sita sunt inter utrumq; polum.
Intercedit apud genitorem supplice uoce,
Nec cessat precibus sollicitare suis.
Decretum nobis patefecit patris ab æuo,
Cum factus nostræ præco salutis erat.
Prouidet hic nobis, uitam cum sorte gubernat,
Condita conseruat, sustinet, atq; fouet.
Liberat à legis maledictis, destruit hostis
Imperium, amissam sedulò quærit ouem.
Factus homo patitur, moriturq;, sepultus elym (pũ
Ascendit clarum, regnat ubiq; potens.

VIII.

Mentibus in nostris formatio imaginis ipsa
Ad Christi genesim parte quadrare potest:
Sicut natiuus Phæbeio ex lumine splendor,
Aut ex igne calor profluit, atq; manet.
Filius æterno genitori ita semper adhæret,
Ex patre nec totus profluit ipse foras.

IX.

Callidus oppugnans æternæ prædo salutis
Hancce Dei laudem, nunc sua membra ciet.
Insequitur telis ignitis Ecchius ater,
Hostis cum socijs ipse Cherintus adest.

Arius, Eunomius ſpargunt lethale uenenum,
Impius his ſocius Samoſatenus erat.
Tales diuini uenerunt nominis hoſtes,
De quibus Euſebius carmina multa canit.
Non minus his noſtris peruerſis Papa diebus.
Aduerſus Chriſti nomen ubiqꝫ furit,
Nunc hac, nunc illac, uirus cum peſte maligna,
Expuit, ut ſacrum perdat ouile Dei.
O patiens, nimium patiens diuina poteſtas,
Tales in mundo quæ ſinis eſſe uiros.
Nec fucos tales Stijgias detrudis ad undas,
Vtqꝫ tui fiant iure Scabella pedis.
Sed reuocare gradum decet, & præſtare, benigno,
Quod nos polliciti pectore & ore ſumus.

INCARNATIO CHRISTI.

Attigimus ptimam ſacro modulamine partem,
De meritis ſupereſt dicere Chriſte tuis.
Hìc miranda locum tenet Incarnatio primum,
Quam nunc diſparibus continuabo modis.
Hæc naturarum mirabilis unio Chriſti,
Vnam perſonam conſtituendo uiget.
Nulla fit in Chriſto mutatio, mixtio nulla,
Sed natura hominis ſalua, deiqꝫ manet.
Hac in re nobis oculus cęcutit uterqꝫ,
Hìc etenim uirtus omnipotentis adeſt.
Teſtis ut eſt uatum prædictio ſacra piorum,
Promiſſum noſtris patribus illud erat.
Vt pareret uirgo ſanctam caſtiſsima prolem,
Præuidit primus noſter in orbe parens.

Hoc

Hoc pater æternus decretum ſanxit ab æuo,
    Conſilio ſacro res ea pacta fuit.
Cum Deus humanam reſpexit in orbe ruinam,
    Congemuit noſtri motus amore pio.
Ingemuit genitor cum nato & pneumate ſancto,
    Angelici lacrymis nec caruere chori.
O fallax hoſtis tantorum cauſa malorum,
    Qui triſtes ſtruxit calliditate dolos.
Inuidus humanæ ſerpens & prædo ſalutis,
    Iſtius lapſus qui prius autor erat.
Infelix mali morſus, ſeu prompta uoluntas,
    Altera quæ tanti cauſa doloris erat.
Hic dolor inuaſit totius climata mundi,
    Spes homini prorſus nulla ſalutis erat.
Ordo iuſtitiæ pœnam poſcebat acerbam,
    Sufficiens oneri nullus in orbe fuit.
Sed patris æterni miſeratio magna refulſit,
    Cum flammam ſumma miſit ab arce ſuam.
Quæ tulit innuptæ tam gaudia blanda puellæ,
    Vt pareret uirgo non ſociata uiro.
Magna quidem uirtus fuit & diuina ſalutis,
    Quam patris æterni nuncius ore tulit.
Caſta etenim uirgo concepit protinus ipſum,
    Qui fuit æterni patris imago, λόγον.
Quàm fuit humano generi conceptio felix,
    Atq; ſalutaris nuncius iſte Dei.
Ecce creatorem genuit non paſſa uiriles,
    Tactus, ſub tecto paupere, uirgo ſuum.
Quanta tulit mundo natalis gaudia Chriſti,
    Promiſſum uenit lumen in orbe ſacrum.

Gaudentes cœli cecinerunt iubila ſancta,
    Laudibus excelſis concinuere Deum.
Angelicum pacis modulamen ſigna ferebat,
    Atq; uoluntatis (gaudium ubiq;) bonæ.
Auribus humanis ô uox dulciſsima cœli,
    Gaudia quæ mundo non peritura tulit.
Omnia per Chriſtum, ſine Chriſto nulla uoluptas,
    Omnes in Chriſto uiuimus, atq; ſumus.
Hunc oculis ſancti gaudebant cernere patres,
    Qui populi Iſraël gloria magna foret.
Hic datus eſt nobis, nobis eſt natus Iēſus,
    O donum, quo non maius in orbe fuit.
Lumen is æternum gentes illuminat omnes,
    Et facit æthereas ſponte patere domos.
Commoda quæ Chriſti tulit Incarnatio nobis,
    Nulla ſatis, fateor, lingua referre poteſt.
Ecceptura pios cœleſtis ianua regni
    Stat, quis non ueniæ tempus adeſſe uidet?
Hoc meruit nobis benedictum ſemen Iēſus,
    Nam per eum ſolum uita ſalusq; datur.
Circumcurrit hyans hoſtis, tanquam Leo prædā
    Cum quærit, nobis inſidiasq; ſtruit.
Eius ut Herodes perſuaſu captus inique,
    Innocuos pueros diſcidit enſe ſuo.
Exul Ioſephus Nili tunc regna petiuit,
    Migrauit Chriſtus cum genitrice ſua.
Sic nunc inſequitur diuinum nomen ab omni
    Parte, uenenoſo uirus ab ore ſpuens.
Hic hominē Chriſtū negat, ille deumq; uiciſsim,
    Imbuti falſa cognitione Dei.

Sed

Sed pater æternus cum nato, & flamine sacro
Semper, & ardenti mente rogandus erit.
Vt genus humanum tanta caligine mentis
Expurget, nostras ut regat ipse uias,
Ne nos insidijs seducat callidus hostis,
Et trahat à uero lumine, nempe Deo.
Hæc est, quam cecini, sancta incarnatio Christi,
Ordine nunc eius passio dura uenit.

PASSIO CHRISTI.

Quæ cruce sustinuit Solymorũ Christus ad urbẽ,
Carmine nunc referat nostra Camæna suo.
Vulnera dura tulit nostro pro crimine cęsus,
Est patri factus uictima sacra suo.
Quod pia prædixit sacrorum concio uatum,
Morte modò Christus perficit ipse sua.
De torrente bibet, caput exaltabit in altum,
Iessæi uatis carmina sacra sonant.
Hoc etiam multis prius ostendêre figuris,
Cum uoluere Deo sacrificare suo.
Tempus erat, quo Iudæi sua festa per orbem
Agno Paschali concelebrare solent.
Conspirant hostes concordes fœdere facto,
Vt perdant Christum proditione sua.
Ipsius teneras ungebat fœmina plantas,
Quas & tergebat crine pudica suo.
Proditor est pactus tacitè cum gente scelesta,
Vt præceptorem uenderet ære suum.
Agnum Paschalem comedit de more redemptor,
Et testamentum perficit ipse suum.

Se

Se fore desertum prædicit Christus ab illis,
Qui stabiles animo nulla pericla timent.
Stulta fuit Petri persuasio, uana fidesque,
Armis confidit nam temere ipse suis.
Sed trepidat Christus multum tristatus in horto,
Ipsi sanguineus sudor ab ore fluit.
Vt pater æternus calicem transferret acerbum,
Orat, sed precibus non sacra fata negat,
Captus ab hostili magna cum fraude caterua,
Vinclis implicitus fortiter ipse fuit.
Amputat auriculã famulo Petrus arma capessẽs,
Hunc Christus sanans uim gladiumq; uetat.
Ad Caipham deductus & accusatus Iesus,
Nil loquitur, patiens omnia ferre cupit.
Promissum patribus se sæpe fuisse fatetur,
Consputus faciem uerbera multa tulit.
Est Petrus ancillæ uerbis formidine captus,
Cum Christum Dominum denegat esse suũ.
Pœnitet, & lapsum toto se corde fatetur,
Et ueniam tanti criminis ipse petit.
Proditor est lento laqueo suspensus Iudas,
E scelere impleto tam furiosus erat.
Captiuum Barabam pollutum crimine multo,
Solui uociferans impia turba petit.
Innocuo ne iudicium de sanguine ferret,
Est monitus præses coniugis ore suæ.
Abluit ipse manus sub relligione maligna,
Omnem à se noxam dum remouere studet.
Spinis connexam Christo imposuere coronam,
Ipsius & dextræ tradita arundo fuit.

Rex

Rex appellatus mordaci uoce redemptor,
Conspuitur faciem maxima probra ferens.
Ducitur ex Solijma, magna comitante caterua,
Vrbe, crucis gestans pondera dura suæ.
Prædones inter binos suspensus Iesus,
Aerumnas sitiens indicat ipse suas.
Ecce suam matrem uerbis solatur amicis,
Fellis ei succo potio mixta datur.
Expirat tandem magno clamore redemptor,
Offuscant tenebræ climata cuncta nouæ.
Sol patitur, magnis resonat clangoribus æther,
Et sub inassueto pondere terra tremit.
Rumpitur in templo uelum, quod rite tegebat,
Sanctum Sanctorum, saxaq; scissa ruunt.
Mortua quæ fuerat, tumulis tunc prodit opacis
Turba, petunt Solijmam milia multa uirûm.
Mos erat, ut subitò demortua membra sepulcris
Mandarent, subijt uir pius illud onus.
Purpureo Christi corpus uelauit amictu,
Vnxit & ipsius mortua membra Ioseph.
Extremum munus præstare uolebat amico,
In tumulo Christum condidit ipse nouo.
Constituunt uigiles, qui seruent nocte sepulcrũ,
Quod signant multis impia turba notis.
Tantæ molis erat missam renouare salutem,
Quę cruce Christe tua nunc reparata manet.
Vera sonare uides Iessæi carmina uatis,
Impleuit uatum, mors tua Christe, melos.
Summum pontificẽ, qui nunc reserauit, habemus,
Sanctum Sanctorum, gaudia quanta cano!

C Sceptra

Sceptra Diabolici nutant hoſtilia regni,
Vim prorſus nullam Tartarus ater habet.
Exiguo geneſin celebraui carmine ſanctam,
Crux eſt innocui commemorata uiri.

RESVRRECTIO CHRISTI.

Chriſti ſaluifici, deuicta morte, tryumphum,
Extollat paribus noſtra Camæna modis.
Reſpice Chriſte precor, de cuius laude canemus,
Exiguum quamuis & puerile melos.
Nonne placent pueri tibi, cum puerilia laudes
Carmina, & infantes in tua regna uoces?
Prouocat humanas magna dulcedine mentes
Tempus, quo Chriſtus glorificatus erat.
Tempora floriferi redeunt nunc aurea ueris,
Et redit in noſtro cœlicus orbe globus.
Demulcent uolucres ſuaui ſuper æthera cantu,
Et lætum tempus nunc rediiſſe monent.
Latipatens uiridi ueſtitur terra colore,
Singula purpureis floribus arua nitent.
Palmite gemma tumet, nũc omnis parturit arbos,
Læticiam ſpirat quicquid in orbe uiget.
Pellatur noſtro triſtis de pectore cura,
Cum Domino redeunt omnia dona ſuo.
Tempus adeſt lætũ, quo Chriſtus morte reuixit,
Quem non commoueant gaudia tanta uirũ?
Angelus apparens cœleſtis ueſtibus albis,
Læticiam nobis nunciat ipſe nouam.
De torrente bibens caput exaltauit Ieſus,
Et tenet inuicta regia ſceptra manu.

Mors

Mors ſuperata iacet, peccatum ſpicula nulla
Profert, inferni deſijt eſſe uigor.
Vix aderat pulſis feſti lux prima tenebris,
Cum Chriſtus uires exerit ipſe ſuas.
Accedunt tumulum mulieres ſole priores,
Vngant ut Domini membra ſepulta ſui.
Triſtia dicta ſonant, quærentes inter eundum,
A tumulo ſaxum quis remouere queat?
Et lapis extemplo ſemotus cernitur ingens,
Angelici apparet candida forma uiri.
Obſtupuêre, coit gelidus formidine ſanguis,
Horror & illarum frigidus oſſa quatit.
Angelus hîc pauidas uerbis ſolatur amicis,
Et placido uultu talia dicta ſonat.
Pellite corde metum, uobis annuncio magna
Gaudia, quæ mœſtis nuncia ferte uiris.
Quæritis hîc Chriſti demortua membra ſepulti,
Surrexit, uobis iam rediuiuus adeſt.
Diſcipulis igitur celeres hæc ſpargite mœſtis,
Et noua ſollicito gaudia ferte Petro.
Inde Galilæam repetet ſaluator Ieſus,
Tunc quis eum clara luce uidebit ibi.
Sic ait, hæ citius dicto monumenta relinquunt,
Et referunt mœſtis omnia læta uiris.
Apparet Mariæ primum rediuiuus Ieſus,
Mortis enim mulier prima miniſtra fuit.
Poſt ea diſcipulis ſeſe patefecit, & illos,
Liberat à falſa ſuſpitione ſua.
Optat eis pacem ſubeundo limina clauſa,
Fracto pane ſuis cognitus ipſe fuit.

Iam iam ſanctorum ſpacioſa uolumina uatum,
Impleuit ſummo de genitore ſatus.
Nulla tibi poſthac mors eſt conceſſa poteſtas,
Victrici Chriſtus nos tegat ecce manu.
Callidus æternæ eſt proſtratus prædo ſalutis,
Ipſius omnino nulla tyrannis erit.
Victor is inferni uictricia ſigna ferebat,
Corporis haud uideat membra perire ſui
Hæc eſt illa Dies, quam fecit dextera Chriſti,
Nunc exultemus dulce ſonando melos.
Namq; reſurgentis teſtatur gratia Chriſti,
Gaudia cum Domino cuncta redire ſuo.
Ad metam properare libet, de morte tryumphũ
Noſtra celebrauit Chriſte Thalia tuum.

ASCENSIO CHRISTI.

Victus ad ætherei quî ſis palatia regni,
Carmine nunc ſacro commemorare decet.
Cognitus à multis & uiſus Chriſtus Ieſus,
Eſt toties, aliquis ne dubitare queat.
Diſcipulos dubios dictis reprehendit acutis,
Exiguamq; ſuis arguit ipſe fidem.
Poſt ea miſit eos per ſingula climata mundi,
Et iuſsit uerbum notificare ſuum.
Addidit ipſe ſuis uerbis miracula multa,
Et quæ doctrinam facta ſtupenda probent
Vitam promiſit credentibus ipſe beatam,
Quos ſacrata prius purificauit aqua.
Perpetuos illis cruciatus inde minatus,
Quorum non fuerit ſedulo firma fides.

Diſci-

Diſcipuli tales edunt de pectore uoces,
Qui pariter Solymas incoluere domos.
Quando reſtitues Iſraël ſceptra magiſter,
Num tua gens maius ſit ſubitura iugum?
Non eſt, reſpondet, ueſtrum cognoſcere tempus,
In patris æterni eſt tempus & hora manu.
Non tantum Solyma ueſtrum reſonabit in urbe.
Dogma, ſed in cunctis edite uerba locis.
Vix ea fatus erat, cum limina clara polorum
Panduntur (celebris uiſio) ſponte ſua.
Aſpicientibus eſt multis ſublatus in altum,
Nocte ſua nubes denſa tegebat eum.
Stant oculis fixis in lucida ſydera cœli,
Euentus uoluunt, mœſtáq; corda gerunt.
Candida forma patet binorum forte uirorum,
Talia qui placido pectore dicta ſonant.
Quid ſtantes, oculos fixos in lumina cœli
Dirigitis, quid uos cura maligna premit?
Non aliter, quàm nunc ipſum uidiſtis euntem,
Extremo ueniet tempore nube ſedens.
Talia rumpebant de pectore uerba ſonoro,
Et celeri curſu regna ſuprema petunt.
Quattuor exiguo celebraui munera uerſu
Victori dabimus uota preceſq; Deo.
Omnipotens æterne Pater, qui cuncta gubernas,
Nomen ab æterna qui bonitate geris.
Tu genus humanum miſeratus corde paterno,
Miſiſti natum cœlitus ipſe tuum.
Munere pro tanto referant quas pectora grates
Noſtra tibi? quicquam dicere lingua ſtupet.

O λόγε nate Deo, ſupremi patris imago,
Qui ſatus es pura uirgine uerus homo.
Victima qui factus uaſti pro crimine mundi,
Vulnera ſanaſti ſanguine noſtra tuo.
Chriſte tryumphator Satanæ, deſtructor auerni,
Morte ſimul cuius mors rabioſa iacet.
Qui ſuper ætherei ſublatus ſydera cœli,
Iudex extremo tempore iuſtus eris.
Pectore te rogito, ſanes ut unlnera noſtra,
Sanguine corda laues ſaucia noſtra tuo.
Vt meritas laudes pura tibi mente canamus,
Perpetuò placeat noſtráq; uita tibi.
A Patre & à nato procedens Spiritus alme,
Pectora purifica flamine noſtra tuo.
Rebus in aduerſis nobis comes eſto fidelis.
Da ſtudijs noſtris uela benigna precor.
Quæ ſunt felici ſucceſſu cepta ſecunda,
Vt tibi perpetuò iubila ſancta canant.

Haſniæ, 25. Martij, quo die ante Annos 1563. Filius Dei in utero Mariæ uirginis humanam naturam aſſumpſit, & poſt annos 34. eodem Die extra Ieruſalem cruci affixus, uictima factus eſt pro peccatis totius generis humani anno mundi 3996.